Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 425
Quelle:
Copyright:

creationem et lapſum. Initium: *Sacris conditionibus eruditi. et exercitio ſedule cogitationis orthodoxorum uirorum ſanctionibus edocti. tres dies eſſe pro futura inſinuatione comperimus. quorum qui alios antecedit. a principio creaturarum initium ſumpſit. ad conſummationem mundi in uoce angeli per ignem obpandendam perduraturus. Secundus uero usque ad generale* (ſic) *perducendus. tercius ſine fine manſurus. Eſt enim prima dies preſentis temporis. Secunda tumuli. Tercia eternitatis.* &c. Atque in *prima* ſolum ſiſtit Noſter, officia ejus allegoriis undique e ſacro textu etiam obtorto collo adtractis docens. Solicite more meo quaeſitus operam luſit, neque aliud Operis ejus Exemplar in Catalogis *Mſſ.* reperi. Epiſcopum eum fuiſſe, aut Abbatem in cujusdam Principis aula diſtentum memoratae ſuperius *curiales ſollicitudines* innuunt. Opus ipſum, ad cujus calcem brevis *Expoſitio ſancte Trinitatis* additur, ſat mendoſe ſcriptum eſt.

CCLIII.

U. 53 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 200. f. per duas columnas commode ſcriptus et rubricis diſtinctus I. hunc praefert Titulum: *Incipit prologus libri* (numerus extritus, qui debet eſſe VII.) *quo tractatur de viſionibus ymaginarijs et ſompnijs.* Autor nullibi memoratur; eſt vero *Johannes* a Caſtello natali in *Tuſcia* dictus *de S. Geminiano* Ord. Praed. Scriptor Sec. XIV. et Autor *Summae de Exemplis et Rerum Similitudinibus* conſtantis Libris X. quorum praeſens noſter VII. eſt. Editiones integrae hujus *Summae* refert *Quetifus* T. I. *Scriptt. O. P.* p. 528. atque inter eas illam vetuſtam *ſ. l.* et *a.* quae nomen *F. Helvici Teutonici* praefert, quo ſe in *Prologo* occultare voluit *Johannes*, ut viſum *Quetifo*, licet L. VI. c. 52. edit. *Venet.* 1576. 8. p. 249. prodat *terram originis ſuae, ſcilicet Caſtellum Sancti Geminiani, quod eſt in partibus Thuſciae XV. milliariis diſtans a Civitate Senarum.* Prologi noſtri peculiaris initium eſt: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini* &c. et finis Libri: *proſpera per terram intelliguntur.* Librum hunc ſeorſim hic deſcriptum putem, quod Somnia et Viſiones biblicas exponit, ideoque ad ſacram Ἑρμηνευτικὴν pertinet.

II. *fol.* 38. absque omni vel Titulo, vel Autoris mentione incipit Expoſitio Libri *Job*, quae eſt *Hugonis a S. Caro* O. P. Card. qui Sec. XIII. *Poſtillas* in univerſa Biblia elaboravit. In edit. *Lugd.* 1645. Expoſitio noſtra habetur T. I. p. 396. abeſt tamen a *Codice Hugonis Prologus*, et initium ducitur a Comment. in *Prologum Hieronymi: Cogor. ſtimulis rationis. prou. XXVI. Reſponde ſtulto* &c. Extrema Operis ſunt: *quibus omnes electi adiuuantur.* Atque his, ut ſeria ludo vertam, Librarius Tribus ſuae Formulas cumulatim adjecit: